



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xcvi [i.e. viii]. Formam tribuere effectum formalem alicui, est cum eo
constituere aliquod compositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

etur subjectis, non egent causalitate distinctâ, sed seipsis sunt simul forma & quasi causalitas. Causalitas formæ respectu effectus secundarii est eadem unio, ut actu movens Deum, vel etiam determinans causas secundas ad subtrahendum concursum veteri formæ; per hanc enim unionem actu moventem Deum constituitur forma actu causans hanc expulsionem, & impossibile est, hanc unionem actu movere Deum, & formam veterem non expelli: sic etiam hæc subtractio concursus divini suo modo dependet à forma, quatenus Deus potens ob alios fines suum concursum subtrahere, subtrahit illum ad exigentiam formæ.

VIII. Formam tribuere suum effectum formalem alicui, est cum eo constituere aliquod compositum; quod autem non semper eadem inde resultet denominatio, si eadem forma aliis & aliis subjectis uniatur, inde est, quod effectus formalis sit compositum includens intrinsicè subjectum, pro cuius subjecti diversitate erunt & resultabunt composita & denominationes diversæ, pro ut subjectum tali formæ erit proportionatum vel improporionatum; sic visio unita oculo de-

nominat illum videntem, non verò unum lapidi, quia hic est subjectum tali formæ improporcionatum; in quibus tamen casibus forma adhuc talibus subjectis tribuit denominationem habentis v. g. dicitur lapis res habens visionem.

DISSERTATIO DECIMA

De causa Finali, & Exemplari.

I. **C**AUSA FINALIS non est dicenda causa realis, si per causam realem intelligas causam physicè existentem, & per influxum physicum producentem effectum sibi coëxistentem. Est causa realis, si per causam realem intelligas causam, quæ non fictè, sed verè & realiter, quamvis intellectui solùm objecta, & non existens moveat voluntatem ad se amandum: quæ motio licet sit motio metaphorica, non est tamen causalitas metaphorica: & licet hæc causalitas actu à fine dependeat, non tamen ideo magis necesse est, causam finalè coëxistere causalitati, quàm effectui. Definitur esse *id, cuius gratiâ aliquid fit; sive propter cuius bonitatem*

tem